

35.

DISSERTATIO ACADEMICA  
*HISTORIAM DESCRIPTIONEMQUE*  
*PAROECIÆ MANDTHARJU*

SISTENS;

---

CUJUS  
PARTEM ALTERAM,  
CONSENTIENTE AMPLISS. FACULT. PHILOS. AB.  
PRÆSIDE

**JOH. FREDR. WALLENIO,**  
*Eloqu. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S Wolodimiro*  
*in quarta classe Equite., Societ. Oecon. Imp. Fenn atque*  
*Reg. Wermel, nec non Societ. Patriot. Holm. Membro, &*  
*Societ. Latin. Jenens. Socio Honorario,*

VENTILANDAM,

PRO GRADU PHILOSOPHICO,

EXHIBET

**FREDRICUS KORSSTRÖM,**  
*V. D. M. e vicinia Aboënsi.*

In Audit. Philosoph. die xxx Novembr. MDCCCXIV.

h. a. m. confvetis,

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELIANIS,





*Wade, liber, verbisque meis loca grata saluta.*

OVIDIUS.

**E**didit, cum ante biennium ab Academia nostra ad patrias, easdemque & sui muneris sedes, Parœciam Savolaxiæ *Mândyharju* abiret Clarissimus & perquam Reverendus Philosophiæ Candidatus DAVID BERNER, alterius speciminis loco, initium Descriptionis Historiæque antiquiorem hodiernamque ejusdem conditionem & fata adumbraturæ, relinquens, quod ab Ipso absolvi per temporis facultatumque rationem nequiverat, Commilitonibus istorum locorum gnari industriæ conficiendum. Videbatur jam tum & mihi res ulteriore tractatione digna, simulque talis, ut neque a me, utpote qui versatus ibidem per sesquiannum aliquando fuisssem, suscepti continuatio inique postularetur: quare &, quæ partim ipse collegi, partim amici diligentia laboribusque debeo, patriarum rerum amantibus ea exhibeo spe, fore, ut si vel imperfecta, qualia & sunt, censebuntur, gratiæ tamen habitura sint saltem aliquantulum, offensionis certe nihil. Restat vero adhuc & Tertiæ Operis propediem edendæ Parti parata materies, quam a me attingi vetuit imperiosa domesticæ rei ratio: at commodum est, posse, quod solus efficere nequiveris, junctis plurium studiis effici.

Docent illa de Incolarum Paroecia nostra numero proxime allata, non usquequaque vel recentissimis temporibus crevisse eundem; sed sunt etiam qui credant, fuisse illum & quondam hodierno majorem. Pertigisse namque ad hunc quoque tractum probabile est eas pestes, quæ Novogardiam annis 1391, 1417, 1425 & 1427 afflixisse leguntur *a)*, nec minus illam, quæ fuit a. 1533 Wiburgi grasata *b)*, harum licet rerum memoria apud nostrates jam plane interierit. Propior vero & vel hodie manens recordatio est istius pestilentia, quæ autumnis anni 1710. (hinc *Rutto-Syxy* appellato) vicis in primis *Vesala* & *Korpilax*, dimidii milliarii spatio a templo distantes, ita vastavit, ut multa adhuc ibi compareant desolataram habitationum rudera, quod item in locis aliis non omnino paucis obrinet; ut paludes taceam, in quibus fosarum olim excavatarum, sed collapsarum jam & concretarum, cernuntur vestigia *c)*. Quod autem de ultima illius, & quidem valde sævæ luis anno dixi, servari hodieque eam in computandis temporibus epocham, id de aliis quoque valet memorabilioribus horum locorum casibus: quos inter primo referimus tres illos famelicos & lætiferos annos (*Suuret. Kuoluuvuodet*) 1695, 1696 & 1697, qui ut per

---

*a)* MÜLLER. Sammlung Russischer Geschichte V. B. p. 435, 442. PORTHAN. Annot. ad PAULI JUUSTEN. Chronicon Episcoporum Finlandensium p. 523.

*b)* PORTHAN, l. c. p. 759.

*c)* Commemorare hoc loco liceat, quamvis non proprie huic pertinentem, ingentem in parva & perfecte orbiculata lacus *Juolavesi* insula lapidum cumulum, quem ex antiqui cujusdam castelli reliquiis congestum putant. Multas fuisse hujusmodi, sed in montibus potissimum & ad amnes, prisorum Fennorum arces (*Linnæus*) docent *Åbo. Tidningar* 1775 N:o 7, 1776 N:o 21 sq. Cfr. GANANDER. *Mythologia Fennica* p. 50.

per totam Finlandiam *d*), ita in hac quoque ejusdem parte magnum hominum numerum præpropere fato interemerunt, idque strage tanta, ut coemeterio ordinario mortuos non capiente, novum in insula *Pyhäsaari e*) adornari necesse esset; deinde Polonici & Danici belli annum (*Puolan ja Juntin Sota*) 1700, quem ideo meminerunt Farcæciæ nostræ incolæ, quod esset ipsis, per defectum militum conductione haud explendum, adeo gravis, ut vel colonorum aliquot, & in his eorum quoque qui prædia possidebant equestria (*Risthåll*), Svecicarum legionum castra petere juberentur; tum dictum jam pestiferum 1710 anni autumnum, & post biennium, annum hospitiorum militarium (*Fälttjuofj*) 1712, quo, post expugnatum a Russis die 14 Junii 1710 *Wiburgum f*), domibus suis excipere alereque cogebantur dimachas Roslicos horumque Ducem *FLEDOR M ZEKIN*, iisdemque præbere equos, quorum, cum præterea partim lue a peregrinis advecta, partim fame enecarentur, dicuntur non amplius duos ipsi conservasse; postea pacis annum 1721 (*Rauha-Syxy*) eumque tanto lætioris memoriæ, quoniam & toti Farcæciæ, & maxime quatuordecim villarum vico *Perduma*, non acceptissimus solum sed salutaris & præsentis exitio eripiens advenerat reconciliatæ inter duo illa Septentrionis regna amicitie nuntius, cum nempe in eo essent Russi, ut vicum istum, Svecanarum partium rem agentes insidiatores sublesoresque (*Snapphanar och Sisfar*, de

C 2

qui-

*d*) Cfr. *MENNANDER Aminnelfetal öfver Domprobsten Lauræus 1755* p. 10. & *LECHE in Svenska Vettenk. Acad. Handl. 1764 p. 67 1q.*

*e*) Pag. 10.

*f*) *Borgå Gymnasti Historia, författad af M. J. ALOPÆUS p. 62. C. R. BERCH, Beskrifning öfver Svenska Mynt och Skådepenningar, p. 259.*

quibus mox plura) fovisse consiliisque eorum favisse graviter suspectum, flammis non admotis modo at jam voracibus punirent, sed superveniente e suis conclusæ pacificationis narratore, ipsi ad extinguendum ignem villasque ceteras fervandas vehementissime, & ut amicos decet, festinarent; post hæc sequentis belli primum annum 1741, quem, a capta Willmanstrandia, *Lapinrannan Sota* appellant; & denique annum 1797, cujus autumnum *Ensimmäinen Rekryt-Syxy* eam ob causam vocarunt, quod in ea, quæ sola Russico Imperio tum parebat, Parocciæ parte primi tunc legerentur milites, cujus conscriptionis, quamvis e quingentis viris non nisi tres (e numero illo virorum supra memorato 989 g) sex), in militiam adsciscerentur, tantus erat (insolitæ scilicet rei) terror, ut mares, quotquot justæ essent ætatis, domibus sponte exules, in silvas abirent, &, quid de ipsis factum esset, quærentibus responderetur, ibi morari eos, ubi cum leporibus pulterem coquerent (*sillä se on jänixen kanssa huttua keittämysä*): nec tamen vel a militibus sistendis antea immunes fuerant Mändyharjuenses h), vel ullo fere tempore imbelles & placidi reputati.

Per.

---

g) Pag. 16.

h) Erant Svecani principatus tempore e tractu Parocciæ Tavastico, equestribus prædiis plane carente, sex pedites, & præterea, conjunctim cum villa contermina Parocciæ *Uhis*, unus, sed omnes legioni Regiæ Tavastburgensium adscripti, erogandi; e tractu Savonico, cujus sunt equestris prædia, Dimachæ totidem, Carelicis illi turmis adjuncti, & octo pedites (cum duobus, quorum alter erat cum Parocciæ *Christina*, alter cum Ecclesia minori *Hirvensalmi* communiter sustentandus) levis Savolaxiorum armaturæ signa sequentes; atque ex Lappvesiensis tractu, cujus iidem sunt equestris prædia 5, totidem dimachæ. Augebatur etiam posterius peditum istorum nume-

Pervasis nempe dudum nescio quas non oras, & Parœciæ nostræ incolis diu adhasit sinistra foedæ savitiæ, crudelitatis & inhospitalitatis fama, cui neque parum, ut videbatur, roboris addiderat antiquus iisdem sverus cultrorum gerendorum mos, nomenque ipsis conflat longe lateque notum *Cultrigerorum* (*Punkko-Junkkaril*) i). Solent namque vel hodie, licet in Lappvesiensi maxime tractu in desuetudinem id jam abierit, & viri & feminæ, ex orichalceo & multis dependentibus itemque orichalceis anulis ornato balteo portare illi laterales duos, hæ unum eamque medium cultrum, quorum etsi viriles isti, quos & alibi, immo ubique fere locorum, si non ante ora omnium secum ferre, saltem in parato habere nullum non operarium necessitas jubet, sint unus cibus, alter lignis secandis destinati, diu tamen obtinuit, ut ad cædes potissimum comparati crederentur. Percrebuit igitur & multis hominum sermonibus serpsit, esse hos nostros homines rixosos valde, atroces, sangvinarios, & præsertim itinera facientibus metuendos; unde & hi, ne clanculum & astute, quod sæpe fieri narrabatur, opprimerentur, vix pernoctare ibidem, aut nisi bene armati & post provisas di-

di-

---

rus eousque, ut præter eos, qui cum cœtibus *Hirvensalmi*, *Christina* & *Ithis* conjuncte præstarentur, e Savonico tractu alendi essent 14, e Tavastensi 15. Neque abs re erit monuisse, tria fuisse in Parœciâ nostrâ habitacula militaria (*Bostållen*), unum *Ahtiala*, Signiferi, in parte Lappvesiensi, a templo haud longe distans; alterum, Diribitoris ordinum (*Sergeant*), in vico *Anettu*; tertium, Fistulatoris (*Muscant*), in vico *Pernâmäki*, utroque partis Tavastensis: in qua etiam & vico quidem *Kuhajärvi* situm est unicum illud, quod habet Måndyharjuensis Parœciâ, ex parte immune prædium (*Frålsheimman*): *Kuhala*.

i) TUNELDS. Geographie öfver Sverige, 6:te Uppl. 4. Band. p. 157. 7:de Uppl. 3. Band. p. 422.

ligenter res omnis quieti se tradere audebant. Addidere rumori metuique fidem non solum tetricitas illa, austeritas atque, in respondendo tarditas, qua fuisse feruntur notabiles horum locorum incolæ, sed, quod mireris, ipsa nonnunquam comitas, quæ ubi forte latior ibat advenis obviam, fallendi animo in speciem assumta putabatur. Circumferebantur quoque, & hodieque circumferuntur narrationes, e quibus singularis pateret Mândyharjuensium feritas atque immanitas, nec illæ, quod fateri veritas jubet, aut semper falsæ aut insignioris ferociæ carentes indicis. Ex his referri meretur primum miseranda quatuor Turcarum, e captivitate Russica elapsorum & per Parœciam nostram in Sveciam anno 1710 tendentium, ab ipsis ductoribus & itineris comitibus in vico *Jarivala* ad fretum *Wirranfalmi k)* patrata cædes, quam præter omnem fidem injuriose dixerunt svadente Pastore ac Præposito MATTHIA MOLLERO, jubenteque Exactore (*Länsman*) *Pofa* susceptam, sed cujus vel sero justas pœnas, quas maxima sociorum criminis pars partim morte partim fuga evaserant, comprehensus demum vagabundus quidam *Stephanus Georgii Paronen* luit, ex sententia a supremo & boënsi Dicafterio die 19 Februarii 1731 in ipso templi colle decollatus rotæque impositus l). Deinde nec silentio prætere-

---

k) Pag. 10.

l) Jaculatorem (*Skytt*) eum appellat Protocollum laudati Dicafterii Criminale dicto jam die & anno consignatum; simulque indicat, & fuisse illum illatæ præterea rustico Parœciæ *Sysmä Pet:o Pâtåja* necis convictum, & conscium sociumque patratae in Turcas cædis habuisse militem quendam *Kyråån*, jam ante capitis damnatum. Sententiam ipsam inspicere nobis non contigit; ex Protocollo autem didicimus, propter temporis, quod elapsum erat, longinquitatem, & religionum, quas professi fuerant occisi & occisores, diver-



tereunda sunt subitorum illorum excursorum potius & insidiatorum quam militum, quos frequente & vulgo nota *Sisforum* appellatione venisse supra indicavimus. quorumque in quovis bello & tama & magis etiam fors ex ancipite tota pendere solet eventu, horrenda sæpe facinora. Fuerunt illi, post illata in ipsam Fenniam victricia PETERI tunc arma, & multi, & tam suis in melius, quam futuris aliquando civibus, tum hostibus, in pejus noti, negotiaque sua in ploribus Finlandiæ plagis, sed in Ostrobotniæ ducissime, egerunt; ac reliquis sine nomine ja-centibus memoriam præripuerunt LUKKOINEN quidam, NICOLAUS LANG TRÖM (deinde LÅNGSVÄRD?) & KIVIKAS, cui, cum nobilitatis jure, novum contigisse fertur nomen KEIKISUDD *m*). quem, si non e Parœcia nostra egressum, saltem diu ibidem moratum credimus, & a quo, qui *Sisfi* alias dicebantur, nomen traxerunt *Kivikanorum n*). Inter horum vero immitia facta nullum est abominanda crudelitate foedius. quam quod in hominem non omnino plebejum, vulgari notum nomine *Kesilän Teini* (tironem *Kesilensem*, *Djeken från Kesilä*) circa annum 1720 commissum fuit. Erat is *Sisfis* propterea invisus, quod cre-

de-

fitatem ita mitigatam pœnam voluisse duo Dicastrii membra, ut a rotæ supplicio liber futurus esset reus, cui tamen opinioni ceterorum illa prævaluit.

*m*) NORDBERG Konung: Carl XII:s Historia, 2 Del p. 413; LAGERBERG Sammandrag af Svea Rikes Historia, 4. Del. 3. Afdeln. Första Styck. p. 72 sq. GEZELII Biographiska Lexicon, 4. Del. p. 359 sq. Perhibent eum, propter morum rusticitatem & cultioris humanitatis defectum, vocatum vulgo fuisse non *Kelkis-udd*, sed *Kelkis-sudd*; ac *Kärkis-udd* (per errorem forte) habet. JAC. FALANDER in Åbo Tidningar 1791 N:o 24.

*n*) Åbo Tidningar 1791 N:o 15, 24.

deretur non solum favisse Russis, & alimenta ipsis procurasse, verum & *Sisforum* sapius indicasse latebras, sicque auctorem fuisse cladum his subinde illatarum, & benevolentiae mercedem accepisse villam *Tilsala* Parociae *Lappvesi*. Hunc igitur suorum, ut existimabant, proditorum, diu frustra quaesitum cum invenirent tandem domi sedentem & cithara (forsan barbito Fennico trichordo, *Harpu*) o) ludentem, comprehensum, & pro vita, quae possideret, omnia nequicquam promittentem, in silvas p) abduxerunt, ibique tanta tractarunt inhumanitate, ut suas ipsius securibus cultrisque frustatim, aut per lamellas, excisas carnes manducare eum cogerent, tumque colligatis manibus & cruribus super ardentem lignorum struem lente urendum suspenderent, donec vehementissime cruciatu-

---

o) H. G. PORTHAN de Poësi Fennica, Partic. IV. p. 79.

p) Svevisse namque subitos illos & propriae auctoritatis milites in silvas & saltus semet identidem recipere, ibique cum familiis commorari, id quoque docet, quod laudato saepius ZACHARIAE CYGNÆO seniori in Willmanstrandensi bello accidisse narratur. Adierant ipsum autumnali quodam mane viri aliquot ignoti, eademque & illi & domui ejus, ni secum mox iret, minati, eo adegerunt, ut equo vectus eosdem sequeretur. Post milliaris circiter spatium confectum obligarunt ipsi oculos & continuato itinere ulterius perrexerunt, atque per varias viarum ambages deduxerunt ipsum, nihil videntem quidem, sed sermones & confabulationes multorum eorundemque strepitum & huc illuc discursus audientem, in profundissima silvae, ubi, amoto, quo praestricos habebat oculos, linteo, infantes ipsi exhibebant baptizandos & munera sacerdotalia alia exsequenda. Gerit petitis morem: tum denuo caecatus, eodem, quo advectus fuerat, modo revehitur salvus incolumisque; memineratque postea, se in silvae illo loco, quem a templo sesquimilliare, a vico *Syddänmaa-Turki* haud longe abesse judicarat, magnam conspexisse caesarum hac illac sparsarum multitudinem.

tus animam efflaret: cujus in execrandi piaculi memoriam pepigit etiam non nemo carmen, quod ita incipit:

*Terwe Tilsalan howihin!* i. e. *Salve Tilsala aula!*  
*Terwe wanha le tutulle!* *Salve tu, dudum note!*  
*Ne on tuimat terwetyxet* *Crudeles hæ sunt salutationes,*  
*Pahankaltaiset pakinat &c.* *Mali moris alloquia &c.*

Immane vero facinus quod severe & in nonnullos quoque Paroeciæ nostræ incolas uli fuerint Rusfi, eo minus mirandum est, cum & his damna multa tam post quam ante intulerint partim iidem ipsi, partim alienigenæ quidem sed ibidem locorum *Sisforum* negotia agentes, quæ inter commemorari vidimus etiam spoliationem commeatus pecuniarii ad villam tractus Lappvesiensis spatio sesquimilliaris a templo distantem *Haapaniemi*, qua occasione, non tam aperta vi, quam noctu & ex insidiis interierat totum, quo commeatus iste tegebatur, præsidium. Quod si igitur haud proffus immerito majoris sævitæ insimulati olim fuerunt Måndyharjuentes nostri, quam reliquarum istius regionis Paroeciarum habitatores, id partim iniquiori illi tribuendum est horum locorum conditioni, quippe & proprio templo idoneisque aut satis propinquis sanioris doctrinæ ministris diu carentium, & in partes civilis rectionis nimis multas sectorum *q)*, unde fiebat, ut ex alia in aliam surripere se facile possent malefici ibique tamdiu aut vagari libere aut saltem latere, donec

D

&

---

*q)* Pag. 5 sq. & 8. Narratis ibi & pagg. 14. addi jam oportet, parere partem Paroeciæ nostræ Lappvesiensem hodie novo Wiburgensi Gubernio, suoque administrari Prætoro (toti ejusdem nominis territorio præfecto), suo Territoriali Judice (Kymmenegårdensi) & suo item Provinciali (Wiburgensi). Cfr. Finlands Stats-Calender för året 1814 pag. 15 sq. & 27.

& ibi comprehendi judicioque fisti juberentur, utque eadem perfugii & impunitatis spe allicerentur etiam aliunde nefarii homines; partim, quod & indicant tribunalium acta r), aliter omnino se res jam habet. Sunt namque nostrates illi hodie per totam fere Parœciam, sed in Lappvesiensi potissimum & Tavastensi tractibus, benigni, comes &, si vel ad respondendum etiam nunc tardiores, tamen faciles & commodi, antecelluntque harum virtutum laude conterminarum Parœciarum multis, unde & Savonicae partis incolæ, utpote Hirvensalmensibus, quos rudissimos & in illa provincia maxime agrestes putant, vicini, & æque fere illi Tavastensis partis, qui in confinio habitant Parœciæ *Ithis*, quamvis & ii satis probi, ingenio tamen sunt minus blando & leni, & potius terfici quid habent, quod etiam de Lappvesiensis tractus feminis ut plurimum valet. Evanescere quoque jamdudum tam in viris quam in mulieribus cœpit antiqui illius offendiculi, cultrorum gestandorum, mos, qui, Savonicam Parœciæ partem si exceperis, rarissimus hodie est, & inter viros Lappvesiensis partis omnino, inter feminas Tavasticæ nondum plane obsolevit.

Ad reliquos memorabiliores Parœciæ nostræ casus quod attinet, raro, nec ante quinque abhinc lustra, id ipsi contigit, ut a Summis, quibus parebat, Imperantibus adiretur; diciturque ibi, ut in aliis quoque Fennicæ superioris

---

r) Fatetur idem de universa illorum jam temporum (1764) Russica Fennia BÜSCHING: (kurze Beschreibung der Kymenogorodischen Provinz im Wiburgischen Gouvernement des Russischen Reichs, quæ legitur in ejusdem Magazin für die neue Historie und Geographie, 4:er Theil), his verbis: *Es ist doch gewiss, daß man in Finnland von Dieberey und Mord sehr selten hört*; pag. 482.

ris præsertim plagis, proverbio diu siveit, optabilius esse de Rege audire, quam ipsum præsentem videre (*Andakon Jumala Kuningaan kuulua, waan ei näkyä!*), idque duabus, credo, ex causis: primum, quia, quod insolitum esset, eo vix boni quidquam portendi crederent; deinde, quoniam in limitibus imperiorum positi nihil tam metuerent, quam ne, turbatis otis, belli subire aleam cogerentur. At pavorem quemvis facile vicit in Princes amor: unde cum ADOLPHUS FRIDERICUS & GUSTAVUS III Sveciæ Reges, in sollemnibus per Finlandiam ipsamque Savolaxiam circuitionibus annorum 1752 & 1775, hanc nostram Parœciam haud inviserent, de eo saltem semet jactare auditi sunt hujus incolæ, & in his maxime coloni villæ *Ruutla* in vico *Prduma*, quod utraque occasione equos partim comitatu regio, partim, ut hi, Regibus ipsis, apud Parœciæ *Ithis* diversorium *Kaufala*, suppeditarint. Eorundem autem Regum alterum flagrante annis 1788 — 1790 bello pluries, hujusque filium GUSTAVUM IV ADOLPHUM cum ejus Conjuge ætate anni 1802, Svecanæ tum partis habitatores læti intra fines suos conspexerant; quemadmodum, sequente anno, ii, qui Rusiæ jam tunc erant ditionis, Mitissimum Imperatorem ALEXANDRUM I, quem molestissimo & fere invio per quatuor circiter milliaria itinere equo vectum, pio hospitio die 10 Junii (29 Maji) excepit flaminia Pastoralis & Ecclesiæ per id tempus Præsul EMANUEL BERNER, posteroque die, post lustratos Imperii ex hac parte fines, cymba ad *Suomenniemi* & *Savitaipal*, ubi obviam erant currus, revectum, eo a se dimiserunt ægrius, quo insigniori & affabilitate & beneficentia cunctos exhilararat. Ab optimatibus autem utriusque, Rusfici puta & Svecani, regni visitari nostratibus haud fuit infrequens: quos inter nominasse satis erit constitutos, post pacem Aboæ conciliatam, finium regun-

dorum arbitros, Generalis Ruthenici locum tenentem  
 HANNIBAL, & Gubernatorem Provinciae, deinde Sveciae  
 regni Senatorem L. B. CAROLUM JOHANNEM SEJERNSTEDT <sup>1)</sup>;  
 Generalem Exercitus Russici L. B. GEORGUM MAGNUM  
 SPRENGTFORTEN, qui, b. m. Imperatoris PAULI I. jussu,  
 eosdem fines visebat; & Generalem ejusdem Exercitus  
 L. B. JOHANNEM PETRUM VAN SUCHTELEN; Generalis locum  
 tenentem Gubernatoremque h. r. Fenniae G. neralem Co-  
 mitem FABIANUM STEINHIL; atque Gubernatorem Ditionis  
 Wiburgensis Militarem L. B. M. YNDORFF; qui omnes,  
 cum pluribus aliis, in comitatu a. 1803 erant Humanissimi  
 ALEXANDRI, quorumque duo illi priores haec loca jam  
 antea plus semel visiterant.

Dicitum supra <sup>1)</sup> fuit, in antiquiore Russica parte si-  
 tum esse Ecclesiae nostrae Templum. Locum id occupat  
 amoenum, ad ripam lacus *Pyhävesi*, in jugo s. colle areno-  
 so proceris pinibus conspicuo, qui sine dubio nomen  
 dedit Paroeciae, quam *Mänduharju* seu *Menduharju*, non  
*Mändyharja*, perperam appellant & scribunt nonnulli veri  
 etymi ignari. Exstructum antea ibidem fuerat antiquius  
 illud primum constitutae peculiaris Ecclesiae Templum: &  
 illud ligneum <sup>2)</sup>, sed oblongum, nullisque, ut perhibent,  
 picturis aliisque id genus ornamentis instructum, quodque  
 haud sane fatiscens ejusdem compages, sed angustia ni-  
 mia dirui jusserit. Factum hoc est anno 1686, & ipso  
 dominico quodam die, post finita scilicet sacra, & cum  
a coetu

<sup>1)</sup> De illo plura habet GEZELIUS, libr. cit. 3 Del. p. 184. sqq.

<sup>2)</sup> Pag. II. fq.

<sup>3)</sup> Hodiernum templum lapideum esse, falsa est Tavastographi supra  
 (p. 8.) laudati, CHRIST. LIMNELL (Cap. Poster. p. 37) narratio.

a cœtu universo admoverentur manus, intra paucas horas, rudibus in vicinam paludem asportatis; novumque opus, quod tamen pristino innititur fundamento, tanta urgebatur festinatione, ut proximo dominico die, sub divo quidem; sed intra quatuor jam contignatarum trabium strata, celebrari possent divini cultus officia, utque post exactas viginti hebdomadas tectum esset recenti cruciatæ formæ ædificio impositum. Pictum deinde fuit novum hocce Templum a 1700 a *Gallenio* quodam, sed incito valde penicillo, nec in iis factis, quæ ex Veteris & Novi Fœderis historia adumbrantur, exprimendis semper satis pudico. Campanarium, quod anno exstructum esse 1690 inscriptio docet supra januam Sacrarum legenda, duabus instructum est campanis, quarum major & Örebrogiæ a. 1778 fusa diametrum inferiorem habet ultra tres pedes longam, minor (quæ quando & ubi fusa sit, ignoratur) diametrum pede paullo minorem.

Pastorum Ecclesiæ, saltem qua nomina, ut putamus; plenum, hunc sistere licuit catalogum:

JACOBUS PETRI, qui primus videtur hoc munus gessisse. Composuit is a. 1617, ex rogatu & ore colonorum vici *Kinnilä*, litteras de limitibus & terminis (*Räbref*) inter portiones ruris cuique illorum assignatas; huicque libello, qui pristina manente auctoritate in vico isto etiamnum conservatur, nomen subscribens appellavit se indignum Divini Verbi Ministrum (*ovärdig Guds ords tjenare*) in *Mänduharju*. Fuisse autem revera Pastorem, Sententia docet a Territoriali Judicio anno 1694 lata & in Actis Flaminæ adhuc superstes. A filiorum ipsius aliquo nomen traxisse putatur prædium equestre *Papinpoika*.

CANUTUS MATTHIÆ, in Sententia illa Judiciali proxime laudata Pastor itidem appellatur *Mändyharjuensium*. Litte-

ras de limitibus & terminis Flaminiae Pastoralis a Judicio Territoriali Lappvesi nsi (*Hirads-Rätten i Lappstrand*) a. 1633 expetiit reportavitque, & in iis audit vir doctus atque honestus (*hederlig och lärđ man.*)

THOMAS HENRICI. Prioribus illis successisse, in Sententia Judiciali bis jam commemorata narratur, sed per negligentiam animique molliem (*af försummelse och b.ö. dighet*) desvescere sivisse vestigal, quod e portione terræ *Lähenniemi* dicta pendendum erat villæ Sacerdotali, eoque effecisse, ut habitatores vici *Karjala* eam sibi arrogarent, & sic successorem suum ad vindicias ejusdem agendas compulisse.

BARTHOLDUS MOLLERUS. Pastorem Ecclesiæ nostræ anno saltem 1677 fuisse, Sententia indicat Judicii Territorialis Lappvesiensis, qua, die 12 Junii e a data, retributus ipsi aut verius Flaminiae Ædituoque fuit agellus prope Templum, quem antea donatum sed privata vi receptum aliquamdiu tenuerat rusticus *Laurentius Achtain.*

MATTHIAS MOLLERUS, filius præcedentis. Inscriptus Albo Academiæ nostræ Nationisque Wiburgensis die 7 Febr. 1672. Spartæ a Patre vacuæ relictae præfici cupiens, sed propter juventutem suam & meritõrum tenuitatem id obtinere nequens, ut eligendus Parœciæ sifteretur, Holmiam retendit, ibique, non sine difficultate impetrato ut coram Rege ipso concionari ei liceret, tam favorabiliter auditus est, ut, quod petierat, munus ei mox promitteretur. Præfuisse eidem adhuc a. 1705, & quidem Præpositi honore auctum, testem habemus Wiburgensis Diœceseos Archipræpositum PETRUM CARSTENIUM v); ipsique novimus  
MOL-

---

v) In libello, qui inscribitur: Rectoratus Gymnasil Wiburgensis, di-



MOLLERI hujus, quem magna fuisse dicunt auctoritate & fama. tempore exstructum esse novum, de quo mentionem supra fecimus, Paroeciae nostrae Templum.

JOHANNES G STRIN, Pastor atque Praepositus. De eo nihil aliud rescivimus, quam fuisse eum a. 1727 delicti non unius accusatum, delatamque a Capitulo Borgoënsi rem ad Tribunal loci ordinarium, a quo esset, ut ex jure oportebat, inquirenda. Intentatae autem actionis exitum eo magis ignoramus, quod deperdita esse laudati Capituli Protocolla atque Acta ab anno inde 1730 ad initium usque anni 1738, idonea fide novimus. Certum saltem est, praefuisse virum istum adhuc a. 1729 Paroeciae nostrae x).

ANDREAS ALOPÆUS. Mortuus 1732. Ex uxore ELISABETHA HELSINGIA (denata 1750) sator familiae nobilis NO DENSVAN y).

ZACHARIAS CYGNÆUS senior. Adscriptus Albo Academiae & Wiburgensi Studiosorum coetui d. 5 Febr. 1723. Pastor Ecclesiae nostrae anno, ut videtur, 1733, ducta in matrimonium ALOPÆI vidua. Ultimos vitae annos mentis non satis compos exegit. Obiit d. 5 Januarii 1774.

ZACHA.

catus toti Dioceseos Wiburgensis S. Ministerio a. 1704 & 1705: & de quo contulisse expediet librum jam citatum Rev. M. J. ALOPÆI pag. 270 sq.

x) A. J. VON HENELS das anno 1729 florirende Schweden p. 254. unde & didicimus, fuisse tum Paroeciam nostram Praepositurae a Paroecia Lampis appellatae subjectam. Hodie Praepositurae parit Savonicæ Australi. Finlands Stats-Calender för året 1814 p. 60.

y) J. A. REHBINDERS Matrikel öfver Svea Rikes Ridderskap och Adel, Stockh. 1781 p. 477.

ZACHARIAS CYGNEUS junior, decesoris filius. Natus in flaminia Måndyharjuensi die 1 Nov. 1733. Iuerilium studiorum rudimentis in Schola Triviali Parœciæ S. Michaëlis (e Willmanstrandia illuc paullo ante translata) Gymnasioque Borgoënsi positus, ad Academiam Aboënsē a. 1753 accessit, ibique die 1 Martii nomen dedit & Academiæ & Nationi Wiburgensi. Sacris Ordinibus initiatus d. 15 Martii 1755, & Sacellano urbis Lovisæ adjutor datus. Post defensas Aboæ diebus 19 Maji & 23 Junii 1756 Dissertationes duas, quarum altera (Præside JOH. KRAFTMAN) Vindicias Providentiæ Divinæ contra exceptiones Deistarum, altera (Præside PETRO KALM) Theses Miscellaneas proposuerat, Philosophiæ Magister creatus d. 2 Aug. 1757. Concionator Cohortis (*Bataillons - Predikant*) ad Legionem pedestrem Nylandicam constitutus d. 27 Martii 1759, sed Adjunctus simul Præposito & Pastori Lovisensium, utrumque munus pari fide administravit, donec die 1 Oct. 1763 morbido Patri Vicarius sufficeretur; quæ etiam cura impedivit, quominus obtemperare a. 1772 posset unanimi Helsingtorfensium Sacellanum sibi exposcentium vocationi. Pastor peditum Legionis Nylandicæ d. 6 Junii 1774, Parœciæ nostræ d. 15 Julii 1775, & Lovisensium d. 12 Apr. 1780. Præpositi honore auctus d. 6 Dec. e. a. Archipræpositus Borgoënsis d. 18 Januarii 1791, Episcopusque Diœceseos ejusdem d. 31 Aug. 1792. Sæcularibus in Concilii Upsaliensis memoriam jubilis a. 1793 interfuit, concionemque 2) ibi habuit d. 8 Martii, & Doctoris in Theologia nomen atque insignia accepit d. 6 Junii. Interfuit porro a. 1800 Comitibus Regni Norcopiæ habitis aa) &

2) Impresam in Handlingar rörande Jubelfesten uti Upsala 1793, p. 259 — 38.

aa) Alia inter negotia Præsidem tum egit Deputationis (ut vulgo appellari solet) Cleri Ecclesiasticæ, concioneque habita religiosas Comitiorum partes ultimus explevit.

& coronationi Regis homagioque ipsi præstito; hisque omnibus finitis d. 14 Junii in Equestrem de Stella Polari Ordinem est cooptatus, quæ dignitas in Commendatoriam d. 1 Martii 1805 excrevit, cuique, triennio post (d. 23 Aprilis 1808), id novi honoris accessit, ut Eques supremæ classis de Ordine Rusfico S. Annæ renunciaretur. Societatum præterea Svecanæ pro Fide & Christianismo, Fennicæque Oeconomicae Membrum, illius a 6 inde Nov. 1778. hujus ab ipso institutionis die 1 Nov. 1797. Obiit d. 5 Apr. 1809. Publici juris fecerat Stœckholmia a. 1774, forma 8:va, versionem Fennicam libelli Historico-Biblici a Theologo Germano J. P. MILLER adornati, inscriptam: Tarpellistimbain Historiain lyhykâinen Ulösveto Pyhâstä Raamatusta. Uxores habuerat HELENAM DOROTHEAM WILLSTRÖM a die 23 Decembris 1761, & EMERENTIAM AF ENEHELM, superstitem ipsi, a die 8 Junii 1773.

E IANUEL BERNER. Civitate Academica Aboæ donatus & Nationi Wiburgensi adscriptus d. 28 Martii 1760. Sacros suscepit Ordines d. 12 Decembris 1761. Sacellanus in Mândyharju d. 21 Martii 1764. Pastor ibidem d. 9 Januarii 1782. Præpositus honorarius d. 12 Sept. 1789. Mortuus d. 23 Januarii 1808.

AXELIUS ABRAHAMUS BERNER, filius præcedentis. Natus d. 5 Septembris 1781. Albo Academiae Aboënsis & Nationis Wiburgensis d. 5 Octobr. 1803 inscriptus. Sacris Ordinibus initiatus d. 29 Martii 1806. Pastor in Mândyharju d. 8 Novembris 1809.

*Sacellanis*, quorum nec hodie pluribus quam uno opus est unius Templi Ecclesiæ, initio caruisse hæc videtur. Quorum indagare valuimus nomina, hi sunt:

E

JOSE-

JOSEPHUS MOLITOR. Fuisse circa a. 1705 hunc Måndyharjuensium nostrorum Sacellanum, docet CARSTENIUS l. c. Meminerunt ejusdem vel hodie viventium nonnulli, sed ignorato aut oblivioni tradito gentilitio nomine.

CAROLUS RHEANDER, quem pariter, omisso posteriori nomine, *Dominum CAROLUM (Herr Carle)* appellant. Inscriptus Academicorum Albo die 13 Junii 1695, natione Tavastensis. Polyphagus, nec bibax minus, fuisse dicitur, feruntque eum aut remotum officio, aut saltem minus contumeliose dimissum; extinctum putant circa annum 1739.

FREDRICUS GUSTAVUS BERNER, natione Tavastensis. Civis Academicus Aboæ d. 3 Mart. 1731. Mortuus d. 28 Sept. 1762.

EMANUEL BERNER. De eo supra.

ANDREAS CONRADUS FAVORIN, natione Tavastensis, Patre natus Prætoræ Territoriali. Civis Academicus Aboæ d. 9 Febr. 1761. Sacros nactus ordines d. 1 Aug. 1764. Sacellanus nostratium d. 27 Julii 1782. Mortuus d. 20 Septembris 1796.

SAMUEL JOHANNES KROGERUS. Natus a. 1767, Patre JOHANNES KROGERO, Ecclesiæ Rautalambi Sacellano. E Gymnasio Borgoënsi civibus Academiæ Aboënsis & Nationis Wiburgensis adscriptus d. 17 Martii 1784. Sacellanus in Måndyharju constitutus d. 3 Sept. 1800. Pastoris vicarii nomine & honore auctus d. 11 Maji 1811.

